

Alarcon citatus. Ex quo sequitur quod ignis etiam habeat objectivam causalitatem respectu apprehensionis Angeli, quatenus concipitur ut objectum contristans, et affligens ob detentionem prædictam. Addit p. Alarcon animabus separatis causari aliam tristitiam ejusdem rationis, quæ habebunt, quando post resurrectionem corpora illis unita cremabuntur ab igne apprehensione quadam ficta, sed dolore vero, in quo dicit se sequi Scotum, Vasquez, Valentiam, et alios, licet Scotus, et Valentia etiam ad dæmones hoc extendant.

XIV. Nihilominus quod attinet ad primam partem conclusionis, loquendo in genere quod illa pœna ab igne illata sit pœna alligationis, sive solum sit alligatio quoad locum per modum carceris, sive sit alligatio potentiarum quoad liberam executionem suarum functionum, manifeste deducitur, quia Scriptura fere semper explicat illam pœnam ignis per modum alligationis, et detentionis, quod est magnum argumentum solum eo modo fieri, aut saltem de alio modo non posse aliquid certo a nobis affirmari. Antecedens probatur: nam in Canonica Judæ dicitur: *Angelos vero qui non servaverunt suum principatum, vinculis æternis sub caligine reservavit*: et II Petri II: *Angelis peccantibus Deus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*: Apocalypsis XX: *Et apprehendit Angelus draconem qui est diabolus, et Satanus, et ligavit eum per annos mille, et misit in abyssum*. Ubi cruciatus dæmonum in inferno explicantur per vincula, rudentes, et alligationem. Unde etiam dicitur Isaiæ XXIV: *Et congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum, et claudentur ibi in carcere*. Item Threnorum III: *In tenebris collocavit me, sicut mortuos*

*sempiternos circumædificavit adversum me, ut non egrediar, aggregavit compedem meum*. Quo loco duplex insinuat detentio, seu alligatio; una quantum ad locum, cum dicitur: *Ut non egrediar*: egressus enim a loco est, altera quoad impedimentum ipsarum potentiarum, cum dicitur: *Aggravavit compedem meum*: compedibus enim aggravatur, et impeditur potentia motiva, quæ per pedes designatur, ut non libere operetur, et moveat.

XV. Ex hoc autem accipimus explicationem nostræ conclusionis, etiam quoad secundam partem, distinguendo duplicem alligationem. Una quæ solum est in ordine ad locum, detinendo aliquem, ne recedat a tali, vel tali loco, et hoc pertinet ad pœnam carceris, qui tanto est gravior, quanto strictior, et limitatior. Et de hac pœna non est dubium quod detur in dæmonibus, quia qui sunt in ipso inferno non permittuntur ab illo loco egredi. Qui autem sunt in isto aere, seu extra infernum, solum permittuntur discurre, et operari quantum Deus permittit, non quantum ipsi volunt, sicut feræ funibus alligatæ, licet permittantur aliquantulum moveri, non tamen pro libito, sed juxta laxationem, vel constrictionem funis: sic ille ignis gehennalis ligat dæmones, etiam dum extra infernum permittuntur exire, ne pro suo libito operentur. Alia alligatio est in ordine ad ipsas potentias, seu facultates operativas, quæ quando impediuntur operari modo suo connaturali, dicuntur constringi, et alligari, sicut si alicujus membra constringantur funibus, vel ferro, aut si aliquo humore prædominante membra intrinsecus præpediantur: tunc enim dolor tanto est vehementior, quanto fortius est impedimentum ne facultates illæ suas connaturales operationes possint elicere. Imo si

recte perpendatur omnis dolor, quem in nostro corpore sentimus, fere ad hoc reducitur quod facultates, et membra non permittuntur suo connaturali modo operari, propter distemperamentum qualitatis contrariæ, vel divisionem, compressionem, vel aggravationem membrorum, quod totum quædam alligatio seu impedimentum potentiarum est.

XVI. Dicimus ergo quod ignis inferni hoc secundo modo, et non solum primo (licet etiam illo affligat) alligat spiritus, impediendo ne potentia operentur, præsertim operationes ad extra modo connaturali pro libito, sed cum limitatione, et coarctatione: ex quo sequitur vehementis apprehensio in intellectu, et afflictio in voluntate de tali impedimento, et alligatione cruciante, sicut si potentia nostra motiva non solum alligaretur exterius, sed etiam interior impeditur in nervis, et musculis, aliisque organis potentia motiva, per aliquem humorem vel distemperamentum, aut aliquo alio aggravativo magis, vel minus forti, ne connaturali modo operetur. Et sic explicat hanc pœnam D. Thomas, distinctione illa XLIV citata, dum inquit, quod: « Hoc superadditur igni corporeo in quantum est instrumentum divinæ justitiæ vindicantis, quod sic detinet spiritum, et ita efficitur ei pœnalis, retardans eum ab executione propriæ voluntatis, ne scilicet possit operari ubi vult, et secundum quod vult. » Et hoc ipsum probat ibi ex Augustino, Gregorio, et Juliano, idemque affirmat qu. II de anima, art. XXI, et quæst. XXVI de veritate, art. I, ut statim amplius referemus. Et explicatur etiam exemplo animæ, quæ quidem naturaliter unitur corpori, ut forma vivificans, et tamen aggravatur a corpore corruptibili in suis operationibus, ne exercent illas,

sicut vult: « Corpus enim quod corrumpitur aggravat animam. » Sic ergo unit Deus corpus igneum spiritui, non quantum ad informationem, sed quantum ad aggravationem, quod illis verbis acute explicavit Augustinus XXI de civitate, cap. X: « Adhærebunt spiritus corporalibus ignibus accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam: » quasi ex duobus officiis quæ in nostro corpore videmus: erga animam, alterum vivificari ab illa, et hoc est naturale, et delectabile: alterum aggravari animam a corpore ne prompte semper, et libere operetur, et hoc est aggravativum: ex his inquam duobus officiis, alterum non est in igne respectu spirituum, scilicet vivificari ab illis: alterum habet ignis virtute divina, scilicet aggravare spiritum, ne ad suum libitum operetur, magis vel minus, secundum quod major vel minor fuerit pœna. Hic autem dolor vehementissimus est, quia quanto aliqua forma est perfectior, et activior, tanto naturalius, et vehementius inclinatur ad agendum, et operandum juxta modum activitatis suæ. Unde detentio, et alligatio ne operetur sic, est illi violentior, et magis repugnans: ex majori autem violentia, et repugnantia nascitur major acerbitas doloris. Unde cum spiritus sit forma activissima, et tanto magis, quanto subtilior, et perfectior est, non potest excogitari vehementior afflictio, quam impedimentum, et alligatio illius ne operetur sicut vult.

XVII. Restat autem explicare quomodo fiat hoc impedimentum in spiritibus: nam alligatio impeditiva potentiarum in nobis non intelligitur, nisi per aliquam qualitatem contrariam impediendam vires proprias, sicut in corpore non dissolvitur temperamentum, nec im-

pediuntur vires, nisi posita aliqua contraria qualitate, v. g. excessivo calore per adustionem ignis, vel febrem, aut per rigorem frigoris quo contrahuntur nervi, aut aliquo alio simili. Non apparet autem in Angelo quid ponatur per illum ignem quod sit contrarium vel substantiæ ejus, vel potentiis, quia non potest aliquid ab illis tolli, cum indivisibiles sint: contrarium autem quod non tollit, nec etiam impedit, relinquit enim subjectum sicut antea, si nihil ab illo tollit. Ad hoc ergo explicandum:

XVIII. Dico ultimo: Hoc impedimentum, seu alligatio potentiarum spiritualium fit per aliquam qualitatem, vel impressionem alicujus modi, seu cujuslibet alterius entitatis, quæ impedit potentias in executione suarum operationum, nihil ab eis tollendo, sed solum impediendo executionem. Ex hoc autem nascitur detentio passiva in loco, seu ubicatio passiva, quæ in Angelis non potest intelligi antecedenter ad aliquid in ipso Angelo factum, seu receptum. Itaque detentio in loco non potest bene intelligi in Angelo sine detentione, et alligatione potentiarum: nec est prior incarceration quoad locum quam potentiarum impedimentum, sed e converso. In hac conclusione quantum ad primam partem de productione qualitatis contrariæ convenit nobiscum Suarez, ubi supra cap. XIII, num. XL, et seqq. quatenus ponit in dæmonibus immitti qualitatem aliquam doloriferam. Cæterum dicit illam subjectari in substantia Angeli, esseque illi disconvenientem, non quia aliquid tollat de ipsa substantia, sed quia deformat, et deturpat illam, sicut gratia reddit pulcherrimam: et ex illa deformitate spiritus redditur tristis, et afflictus. Sed hoc inconvenienter dicitur, et superflue, quia vel loqui-

mur de pulchritudine Angeli naturali, vel de supernaturali per gratiam. Prima nullatenus est ablata in dæmonibus, quia quidquid ad naturam pertinet, in eis manet: si enim aliquid tolleretur, totum tolleretur, quia indivisibilis entitas est. Et ideo dicit S. Dionysius IV cap. de divinis nominibus, quod: « Naturalia dona manserunt in Angelis integra, et splendidissima. » Non ergo deturpantur per qualitatem. Si vero loquamur de pulchritudine supernaturali, quæ est per gratiam, illa nullo modo tollitur per qualitatem, sed per culpam, et maculam ex ea relictam: nulla enim qualitas naturalis potest gratiam destruere, quia superioris ordinis est: per qualitatem autem supernaturalem multo minus destruitur, quia omnis qualitas supernaturalis ad gratiam pertinet, et gratiæ subordinatur. Quare omnis tristitia de carentia, et destructione gratiæ pertinet ad pœnam damni, quia damnum, seu amissio gloriæ, et gratiæ pari jure censentur: ergo ista deformitas non conducit ad pœnam sensus ut distinctam a pœna damni.

XIX. Exclusa ergo qualitate deformativa, et pertinente ad substantiam Angeli, oportet redire ad qualitatem afflictivam, quæ pertineat ad potentias, eas aggravando, et impediendo: constat enim quod in spiritibus non potest dari qualitas contraria, quæ aliquid corrumpat, sive de substantia, sive de potentia, quia totum ibi est indivisibile; et sic non potest intelligi quod aliquid tollatur, et aliquid maneat: unde non potest afflictio causari per corruptionem potentiæ vel entitatis: ergo solum restat quod per impedimentum ipsius potentiæ ne exequatur; et sic distinguit D. Thomas quæst. II de anima, art. XXI, duplex impedimentum: « Impeditur, inquit, aliquid uno modo a suo con-

trario, quantum ad esse suum quod habet ex aliqua forma inhærente; et sic patitur aliquid a suo contrario per alterationem, et corruptionem, sicut lignum ab igne comburitur: aliquid autem impeditur ab aliquo obstante, vel contrariante quantum ad suam inclinationem, sicut naturalis inclinatio lapidis est ut feratur deorsum, impeditur autem ab aliquo obstante, et vim inferente ut per violentiam quiescat, vel per violentiam moveatur. Et hoc secundo modo, non primo patitur anima ab igne; » et licet ibi explicet impedimentum hoc per ordinem ad locum, tamen in quæstione XXVI de veritate, art. I, dicit quod: « Patitur anima ab igne corporeo, prout dicimus pati omne quod impeditur a propria actione, vel ab alio sibi competenti. » Et in loco supra citato ex distinctione XLIV, dicit quod: « Ignis efficitur pœnalis spiritui retardans eum ab executione propriæ voluntatis, ne scilicet possit operari ubi vult, et secundum quod vult. » Manifestum est ergo in sententia S. Thomæ, quod istud impedimentum non solum est quoad detentionem in loco, sed etiam quoad executionem operationum in potentiis.

XX. Fit autem valde verisimilis iste modus dicendi, tum quia est conformior modo loquendi Scripturæ, ut locis supra citatis ponderatum est; tum quia est aptior spiritualibus potentiis affligendis, quia nihil corrumpendo impedit ipsas operari ad libitum suum, sive in se movendo, sive alia mutando; et sic per talem retardationem aggravantur illæ potentiæ, et quasi enervantur, et evacuantur viribus; et hoc redditur illis valde pœnale, quia est valde repugnans naturali inclinationi spirituum, qui cum valde activi sint, quælibet retardatio, et impedimentum est illis valde repu-

gnans. Pœna autem, et afflictio sumitur ex aliquo repugnante conjuncto. Tum denique est hoc etiam conforme naturis rerum, quia videmus aliqua impediri a suis connaturalibus operationibus per qualitatem impediendam, et non destruentem, sicut impeditur descensus lapidis sine destructione gravitatis, et remora impedit cursum navis sine destructione virtutis deferentis: et torpedo injicit stuporem manui piscatoris sine destructione virtutis motivæ, solum impediendo operationes ne exeant. Quid ergo mirum est quod possit Deus injicere qualitatem aliquam in potentias Angeli mediante igne per quam nihil destruat de virtute, et tamen impediatur exire in suas operationes juxta libitum suum, plus vel minus secundum majorem vel minorem aggravationem.

XXI. Quod si inquiras, ubi subjectetur immediate ista qualitas, an in potentia intellectus vel voluntatis, an in potentia motiva, et executiva, et quem effectum ibi faciat, respondetur qualitatem hanc debere poni, et effectus suos facere in omnibus potentiis requisitis, et concurrentibus ad operationes externas, eo modo quo ad id concurrunt, et influunt. Exinde autem etiam in intellectu vehementem apprehensionem potest inducere de tali impedimento afflictivo, et in voluntate tristitiam, seu fugam, et dolorem de illo. Itaque si in Angelis potentia motiva distinguitur ab intellectu, et voluntate, ibi præcipue qualitas ista residebit ut quantumcumque intellectus ordinet, et voluntas velit quod potentia motiva aliquid exequatur, illa qualitas reddat impeditam potentiam, ne prorumpat in suam operationem, quia sicut ipsa virtus, seu potentia motiva est qualitas de se potens prorumpere in operationem, ita illa qualitas sit op-

positæ conditionis, et formalitatis, obstans ne illa virtus prorumpat in actionem. Nec possumus aliquid amplius de ista qualitate speculari, quia neque in rebus corporeis qualitates explicamus, nisi per suos effectus, sicut qualitatem magnetis quod sit attractiva ferri, et non auri. Remora quod detineat navim, et non piscem; torpedo quod stupefaciat manum, et multas alias similes qualitates solum explicamus per effectus, quos sentimus. Si vero potentia motiva, et executiva Angeli non distinguitur ab ipso intellectu practico, ut videtur sentire D. Thomas, tunc dicendum est quod illa qualitas residet in intellectu, non quidem tamquam species aliqua, vel lumen, quia totum hoc non est repugnans intellectui, sed perficiens, sed est qualitas quædam potius opposita lumini, et speciei, aut ipsi virtuti elicitive intellectus ne utatur virtute, et speciebus, eo modo et efficacia, quæ requiritur ut moveat se, vel alia ad libitum: et sic solum possit elicere conceptus inefficaces, nisi prout permittitur ab illo igne, quod ipsi valde afflictivum est: constat autem diverso modo elici conceptus efficaces ab intellectu, atque inefficaces, cum efficaces operentur in vi voluntatis, ut expeditæ, et potentis ad operandum circa se, vel circa alia, si in illa potestatem habeat; et sic elicit intellectus conceptum practicum imperii potentis super se, vel super alia juxta subjectionem ad voluntatem suam: hoc enim modo per talem conceptionem practicam Angelos movere cælos docet S. Thomas opusc. xi, art. ii. Illa ergo qualitas ab igne immissa divina virtute impedit elicientiam talis efficax conceptus, pro ea parte qua efficax est in alia, non prout simplex apprehensio est, et inefficax. Dicit autem D. Thomas citato loco, quod

ipsa conceptio intellectus secundum quod habet efficaciam aliquid transmutandi imperium nominatur. Impedit ergo qualitas illa elicere conceptionem, quatenus efficaciam transmutandi habet: sicut Adam perdita innocentia non potuit elicere conceptum cum efficacia, et vigore, ut sibi membra omnia, et appetitus sensitivus, et animalia obedirent, sicut ante poterat elicere. Quod ergo non potuit Adam ex carentia doni justitiæ originalis, non possunt dæmones ad movendum se, et alia pro libito. Sed hoc fit in dæmonibus per qualitatem contrariam impediendam, non in Adam, eo quod in Adam potestas illa non erat naturalis ei, sed superaddita, unde ea sublata, non poterat cum illo vigore, et efficacia imperium elicere: in Angelis autem talis potestas movendi est connaturalis, nec tolli potest ab eis, nisi destructa natura: et sic oportet quod inefficacia illa proveniat ab aliquo impediendo extrinseco, quod contrariam qualitatem infert.

XXII. Dices: Sufficiebat Deum suspendere concursum suum, ne Angelus se, vel alia moveret sine qualitatis illius adjectione: nec enim apparet quomodo qualitas illa id præstet, formaliter, an effective, et quem concursum habeat ad impediendum intellectum. Respondetur non sufficere suspensionem divini concursus, quia talis suspensio etsi sufficere posset ad negationem actionis, non tamen ad violentiam naturæ, et repugnantiam: sine repugnantia autem, et violentia, non sequitur dolor, et afflictio. Unde in nobis si manus non moveatur, vel moveat ex suspensione divini concursus, nihil doloris sentiet, si ex qualitate contraria distemperante cruciabitur; quia cruciatus seu afflictio nascitur ex contrario repugnante, et insistente, seu faciente

vim, cui cum natura ipsa repugnet, causat dolorem: dolor enim est de aliquo repugnante propriæ inclinationi. Deo autem suspendente concursum, natura nihil resistit, sed omnino succumbit, et sic sine repugnantia, et oppositione in contrarium manet, atque adeo sine dolore. De modo autem quo qualitas illa talem affectum inducit, dicimus, quod qualitas illa effective fit a Deo, et ab igne instrumento ejus, sed ipsa posita in subjecto formaliter illud afficit, non effective illud impedit; tum quia nulla qualitas effective operatur in suum subjectum, sed in partem conjunctam, aut rem contiguam; eo quod qualitas inhærens non operatur, sed subjectum per talem qualitatem, et sic effective operaretur in se; tum quia si effective operaretur, faceret aliquem effectum, et de illo inquiram, quomodo impedit, formaliter an effective. Non effective, quia faceret alium effectum, et esset processus in infinitum; si vero formaliter, idem dicimus de illa qualitate ab igne producta. Et dicimus effectum ejus formalem esse reddere potentias quasi languidas, et enerves, seu impeditas ne eliciant suas operationes: hunc enim effectum videmus etiam in corporibus fieri per qualitates corporeas, quibus virtutes languescunt, et impediuntur, etsi non destruantur: sic enim in genere qualitatis se habent potentia, et impotentia, quod potentia dicit vim robustam, et potentem, impotentia infirmam, et enervatam; et sic illa qualitas reddit potentiam infirmam per impedimentum, non per ablationem virtutis: multo autem magis potest id Deus facere in potentiis spiritualibus: nec enim talis qualitas, et effectus ejus impossibilis est.

XXIII. Ex his manet explicata ultima pars conclusionis de detentio-

ne Angeli quoad locum, et ubicatione ejus passiva: dicimus enim hanc non poni immediate in Angelo, nisi supponendo prius passivam detentionem, et impedimentum in potentiis operativis ut factam ab aliquo corpore, cujus loco manet Angelus alligatus.

Ratio est quia, ut supra distinctione vigesima late tradidimus, substantia Angeli non habet immediatam coaptationem in sua substantia ad locum corporalem, nec ad ejus distantiam, sicut quantitas in nostris corporibus, quia non habet proportionem spiritus indivisibilis cum loco divisibili iramediata, et per se, et per modum alicujus commensurationis: sed oportet intervenire aliquem contactum virtutis, quatenus ipsa potentia operativa Angeli potest agere in rem corpoream, et in locum ejus, quia non continetur a corpore, sed continet illud, et ipsa ordinatio, seu applicatio Angeli ad agendum in tali corpore, locatio ejus est: ordinatur autem ad agendum per suas potentias, et ita locatio activa, quæ connaturalis est ipsi Angelo, utpote formæ activæ mediante potentia activa convenit Angelo. Quando ergo Angelus præternaturaliter, seu violenter ponitur in loco, non active, sed passive, oportet etiam quod talis passiva ubicatio non intelligatur, per immediatam commensurationem substantiæ Angeli ad locum, quasi prius ibi sit detenta substantia, et alligata, et postea impediatur potentiæ: sed prius potentiæ impediuntur a corpore aggravante ipsas, et consequenter detinetur in loco ipsius corporis, ita quod in ipsis potentiis, a quibus debebat activa ubicatio provenire, ponatur opposita ubicatio passiva ex detentione passiva virtutis proveniens. Quod si ignis impediens potentiam Angeli non detineat ipsum in illo loco ignis, sed